

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus LXXIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PSALMVS LXXIII

PSALMVS ASAPH.

Bonus est utique Israeli Deus, his qui mundo sunt corde.
 Mei autem penè lapsi fuerant pedes, penè effusi fuerant gressus
 mei.
 Quia zelo raptus sum cōtra insensatos, pacem impiorum uidens.
 Quod non sunt ligamina ad mortem illis, & pingue est robur
 eorum.
 In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur.

LECTIO. Quod non sunt ligamina.) Græca & Vulgata latina sic: Quia non est respectus morti eorum, & fir-
Verf. 4. mamentum in plaga eorum. Hieronymus: Quod non recogitauerint de morte sua, & firma sunt
 uestibula eorum. Iustinianus, Quoniā non sunt colligati de morte sua, & firma uestibula eorum.
 Felix: Quoniam non sunt ligamenta in morte eorum, quippe fortis, robustus. Sic & paginus:
 nisi quod legit, Et sana est fortitudo eorum. Aquila sic primam huius uersus partem legit: Non
 sunt anxij discruciatu mortis eorum. Campen. sic: Tota enim uita non solū fortunata illis omnia
 fuerunt, sed & in morte illis accidere solet, ut ætate defecti, sine longo cruciatu extinguantur, &
 palatia relinquunt regia hæredibus suis. Chaldaeus sic: Quoniam non terrentur nec conturban-
 tur propter diem mortis eorum, & pingue & forte est cor eorum.

ARGUMENTVM PSALMI.

AD confirmandos in fide diuinæ prouidentie piorum animos, quid sibi tentationis acciderit ex impio-
 rum prosperitate, hoc psalmo Propheta canit, ut ei tentationi, quæ subinde credentibus negotium fa-
 cit, occurrere doceat, prudenti consilio seipsum in exemplum adducit, ut in ipso quisque admoneatur, quid ce-
 uere, & quomodo in hac se tentatione gerere debeat.

Psalmi dispositio.

Possunt huius psalmi sex partes assignari: prima sit uersu primo, qua diuinæ bonitatis erga pios asseuerationem mox Psalmi initio præmittit. Altera uersu secundo & tertio, qua quid sibi acciderit, impiorum pacem uidenti commemorat. Tertia uersibus quarto, quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo, undecimo, & duo-
 decimo, qua prosperitatem & superbiam impiorum ponit. Quarta uersibus 13. & 14. qua cogitationes suas, quas in ista tentatione habuerit, exponit. Quinta uersibus 13. 16. 17. 18. 19. 20. qua ad se redit, & considerat impiorum sine causam hanc penitus expendit. Sexta uersibus 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. qua prouidentiam Dei recolit, declaratam erga se, & rursus fidem suam ac spem erga Deum firmat.

PARS PRIMÆ.

Verf. 1. Bonus est utiq; Israeli Deus.) Omnium certissimam & uoluntatem Propheta quasi fundamēti loco, de Deo
Bonus est utique præmittit, admonens omnino firmiter de illo sentiendum esse, quod ijs qui puro sunt corde, bo-
Deus. nus sit, quicquid ulla tentatio diuersi sensus ingerat. Habet autem ista & certam diuinæ boni-
Marc. 10. tatis non solum asseuerationem, sed & specificationē. Asseueratio est, quod dicit: Bonus est utiq;
Bonitatis dictio. Deus. Bonitatis dictio ita accipienda est de Deo, imò & de creaturis, ut beneuolentiam & bene-
 ficentiam in usum & commodum aliorum includat. cuius oppositū est malitia, maleuolentiam &
 studiū malefaciendi cōplectens. Ista bonitas Dei totius prouidentie illius, qua consulit mortalū
 rebus, & omnia gubernat, fons & origo est, atq; adeò & fundamentum nostræ in illum fiducie.
Israeli. Specificatio bonitatis huius est, quod addit, Israeli, id est, populo ipsius. Est enim duplex diui-
 næ bonitatis consideratio: una qua generaliter erga uniuersos mortales bonus est, tam malos
 quam bonos beneficijs suis afficiens. De hac illius bonitate Christus meminit Lucæ 6. cum dicit:
Bonitate Deo Veruntamen diligite inimicos uestros, benefacite: & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit
meriti plena est merces uestra multa, & eritis filij altissimi. Quia ipse benignus est erga ingratos & malos. Et
terra. Math. 5. dicit: Qui solem suum producit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.
 De hac non loquitur isto uersu Propheta. Altera est, qua singulariter bene uult populo suo, & ad
 illius ueram & sempiternam salutem omnia facit, qua castigat etiam omnem filium, quem susci-
 pit. Hanc nobis hic commendat Propheta, cum dicit: Bonus est utique Israeli Deus. Et bene illam
 tanto serio asseruit. Quis enim negare potest, Deum bonū esse suo populo, quem in fœdus gra-
 tiæ sibi delegit, cum tam immensa sit illius bonitas, ut malis etiam & ingratis, a quibus nec coli-
 tur nec inuocatur, quotidie benefaciat? Quomodo domesticis malus erit, qui nemini, ne exteris
 quidem, ijsq; inimicis, malus esse deprehenditur?
His qui puro Habet autem & Israel, id est, populus Dei duplicem considerationem. Pars enim est de pijs ac
sunt corde. Dei timentibus: pars uerò, eaq; maior, de impijs. Hæc singularis Dei bonitas, qua singulariter erga
 populum suum affectus est, nō debet generaliter quibusuis qui populo Dei nomina dederunt
 deputari, sed tantum pijs & electis. Ideo Propheta cum dixisset, Bonus est utique Israeli Deus: no-
 tanter adiecit, His qui puro sunt corde: quod piorum est, & electorum.

Notanter

Notanter autem non dicit, His qui puro sunt ore, uel puris manibus, uel puro corpore, ne locus sit hypocritis, & ijs qui corporum mundiciem crebris lotionibus sectantur & magnificiunt: sed, his qui puro sunt corde. Non quod oris & manuum mundicia ad pium non pertineat, cum scilla supra Psalmo uigesimo quarto requiratur: sed quod ista quæ cordis est, ueluti fons quidam est huius externæ.

Quid uero istam dicemus esse cordis mundiciem? An uirginitatem, id est, puritatem à concupiscentia illa carnali mulierum erga uiros, & uirorum erga mulieres? Ut solas uirgines exclusis coniugibus propitium habere Deum intelligamus? Absit. Propheta loquitur de tali mundicia quæ omnium debet esse statuum. Est uero duplex cordis mundicies in scripturis proposita. Vna, quæ ab omni generis peccati impuritate repurgatum cor habet, quando cor ab omnibus carnalibus ac impuris desideriis, superbiæ, iræ, gulæ, inuidiæ, auaritiæ, scortationis, &c. liberum est. De hac non loquitur hic propheta. Quis enim potest dicere, Mundum est cor meum? Alioqui nemo mortalium haberet propitium Deum. Ad hanc quidem eluctandum nobis est per gratiam Christi, qua corda nostra fide purgantur: uerum huc nunquam, donec sumus in hac uita, pertingimus, ut omnimodam hanc cordis mundiciem obtineamus.

Altera, est sinceritas quædam & rectitudo animi erga Deum: cuius oppositum est infidelitas cordis, & subdola simulata fidei hypocritis: cum tamen cor nec credat Deo, nec diligat aut reueretur Deum, quales erant de quibus alio loco dicitur: Et cor eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius. Et Esa. 29. Matth. 15. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum procul est à me. His certè non est bonus Deus. Est enim cū puro purus, & cū peruerso peruersus. Supra Psalmo 18. quo loco satis uidere est, quid per חַלְבָּהּ, id est, cor mūdum intelligendum sit, ex opposita peruersitate. Cum enim dixisset, Cum puro purus es: adiecit, Et cum peruerso peruersus es.

Hæc cordis puritas est fides in bonitatem Dei, & affectus ueræ ac sinceræ gloriæ Dei studiosus, est cor rectum, fidele, integrum, syncerum & candidum erga Deum. Qui huiusmodi sunt, reuera bonum habent ac fidelem Deum. Licet enim priorē illam omnimodam cordis mundiciem nondum habeant, sed adhuc subinde delinquant & peccent: propter hanc tamen cordis mundiciem, sine qua nemo Deo placebit, & de qua Matth. 5. Dominus dicit: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt, sit, ut omnes alij defectus ignorent. Sed quæso quotusquisque hodie est, qui corde sit erga Deum simpliciter, candido ac puro? Si Deus ijs tantum in populo suo bonus est, quid faciunt pseudoprophetæ illi, qui dilectionem Christi pollicentur non pijs solum & electis, sed toti in uniuersum Ecclesiæ, in qua paucissimi sunt puris cordibus, fex uero impiorum supra modum abundat? Christus, inquit, diligit Ecclesiam suam, ergo non deserit eam. Diligit, sed eam quæ uerè sponsa est, electorū uidelicet. Hanc utiq; nō deserit. Quid hinc sibi sperare possunt homines impij, uani, spurcissimi, quorum os Deo appropinquat, cor uero ab illo procul est.

PARS ALTERA.

Duobus hisce uersibus breuiter attingit, quid sibi ex impiorum animaduersa pace propè contigerit, quod tamen infra quarta psalmi parte, uersibus scilicet duodecimo, decimotertio & decimo quarto apertius ponit.

Nel autem penè lapsi fuerant pedes. Tenorem fidei erga Deum, quæ constanter creditur, quod certò bonus sit, ijs qui mundo sunt corde, comparat hoc uersu gressibus inoffensis: defectum uero fidei, lapsi pedum. Neque enim insolens est scripturæ, pietatem in Deum comparare uiræ: quæ ob id quod in Deum tendit, uia Dei appellatur. Quod ergo sunt pedes ambulantis, hoc sunt fidei affectus credentibus. & ut aliquando interiectu offensusculi offendunt pedes & labuntur: ita tentationibus uel seculi præsentis, uel carnis, uel rationis humanæ pij credentium affectus à recto fidei tenore ad lapsum sollicitantur, ut hic uidemus. Dicit se à fide, qua initio Psalms dixit, quod bonus sit Deus ijs qui puro sunt corde, per tentationem ab impiorum pace illatam penè lapsum fuisse.

Quod autem non dicit, Lapsi sunt pedes mei, sed penè lapsi sunt: admonet quàm procliuus sit in huiusmodi tentationibus, etiam pijsimorum hominum lapsus, ut eo nos cautiore suo exemplo reddat.

Simul etiam uidemus ingenium hominis pij ac Dei timentis, qui tantum habet pietatis & integre fidei studium, ut non contentus, nō esse lapsum se, etiam de eo queratur, quod penè lapsus sit. Quotusquisque nostrum hoc pietatis studio præditus est, ut gressuum suorum & fidei incellus consimilem habeat rationem, qualem hic in Dauide uidemus? Ne tum quidem dolemus & querimur, quando toti à fidei sinceritate prolapsi, in peccatorum immundicijs ac sordibus iacemus. Quando dolebimus de labendi procliuitate, cum nullus nobis sit lapsus nostrorum sensus?

Quia zelo raptus sum contra insensatos. Hoc uersu subiungit, quomodo & unde impulsus penè lapsus sit. Ergo duo ponuntur. Primum, quæ res illū ad lapsum sollicitauerit. Pacem, inquit, impiorum uidens. Ergo prosperitas impiorum materiam præbebat tentationis. Quæ illa sit, declarabit statim parte psalmi tertia uers. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. Alterum, quomodo ex illa occasionem labendi cepit. Quia zelo, inquit, lapsus sum contra insensatos. Zelus hic contra impiorū prosperitatē nihil est aliud, quàm animus pacem impiorum tanquam rem indignam ægreferēs, à quo & supra

Quæ sit ista mundicies cordis.

Duplex cordis mundicies in scripturis. Prouerb. 20. Aet. 15.

Psalm. 78.

Vnde & uetm habet, Qui re-cto sunt corde.

Vers. 2. & 3.

Vers. 2.

Pacē, id est, prosperitatē dat impijs iuxta opinionem seculi. Alio qui reuera non est pax impijs. Et impij ambulant uis difficles.

psalm. 34.

*Zelus cōtra im-
piorum proſpe-
ritatem.*

psal. 37. multis argumentis pios dehortatur. Quas zeli huius cogitationes senſerit, uidebimus in C

Tanguntur ſubinde hoc zelo uiri ſancti, ut uidemus in prophetis. Hier. capite 12. ſic legimus: Iuſtus quidem tu es Domine, ſi contendero tecum. Verū tamen iuſta loquar ad te. Quare uia im-
piorum proſperatur, bene eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt: Plantaſti eos, & radi-
cem miſerunt: proficiunt, & faciunt fructum, &c. Ergo uſque adeò graui zelo contra impiorum
proſperitatem raptus eſt hic Propheta, ut non dubitauerit illius gratia etiam contendere cum
Deo, & rationem exigere, cur bene ſit omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt. Et Iob hunc
affectum expertus eſt, ut ipſe cap. uigeſimo primo dixiſſe legitur: Et ego, inquit, horreſco, cum co-
gito, & carnem meam concutit tremor. Quare impij uiuunt, inualuerunt, & correborati ſunt di-
uitijs? Et hic ueluti rationem exigit, cur bene ſit impijs. Imò dicit ſe horreſcere, & carnem ſuam
tremore concuti, ſi quando mentis cogitatione in proſperitatem impiorum incidat.

Animaduertendum eſt, quomodo eos nomet: Quoniam, inquit, zelo raptus ſum contra in-
ſenſatos, pacem impiorum uidens. Ergo uocat eos inſenſatos וְאִי־בִינָיִם, & impios וְרָשָׁעִים. Aegre ſe-
rebat quòd ſtulti impij proſperabantur. Non eſt autem putandum, quòd de ſtultis, ratione & ſa-
pientia mundana deſtitutis loquatur. Stultitiam taxat, cui coniuncta eſt impietas. Hæc duo, ſtul-
tum & impium eſſe, coniunguntur. Nequeunt enim diuidi. Nam qui impij ſunt erga Deum, re-
uerà ſtulti etiam ſunt. Sapientia uera eſt pietas & timor Dei. Ergo ſtulticia eſt impietas illa, qua
corde dicitur, Non eſt Deus.

Sed qui ſunt huiusmodi? forſan notat Propheta eos qui erant ex gentibus, quibus nulla erat
nec Dei noticia, nec cum Israele in cultu Dei ſocietas. Nequaquam. Quid enim ad ipſum pertine-
bat fortuna eorū qui foris erant? uel quomodo negleſtis impijs, qui in medio Israele erant, ocu-
los uertiſſet ad externos? Verſu undecimo dat illis hanc impiam uocem, quòd dixerint (uidelicet
in corde ſuo) Quomodo cognouit Deus? & an eſt ſcientia in excelsis? Si de gentibus diceret, cō-
petentius hanc illis impietatem tribueret, ut dixerint, quomodo ſcientia eſſet in Deo Israele? Et
uerſu uigeſimo dicit: Et in ciuitate imaginem eorum negliges. Quibus uerbis ſatis indicat, quòd
de ijs loquatur, qui in urbe populi Dei ciues erant.

Et Ieremias cap. ſuprà citato, nō de gentibus loquitur, ſed de impijs, qui erant in populo Dei.
Plantaſti eos, inquit, & radicem miſerunt, proficiunt & faciunt fructum. Non loquitur de commu-
ni illa beneficentia Dei, qua etiam gentibus terrena bona dantur, ſed de ea qua Israeli Deus bene-
fecerat. Ex hac habebant ſuas diuitias iſti impij, præter omnem ſinceri cordis erga Deum piete-
tem. Vnde & ſubdit: Propè es tu ori eorum, & longe à renibus eorum.

Et alioqui, ut maior eſt & deteſtabiliſſima eorum impietas, qui cum in populo Dei ſint, & ore
Deum confiteantur, corde ſunt impij, quàm eorum quibus extra poſitis cognitio Dei nunquam
innotuit: ita certè uehementior etiam contra illos zelus eſt piorum, ſi uifi fuerint proſperam ha-
bere impietatem, quos terra ne ferre quidem debebat, nedum luxuriantes alere, quàm contra ex-
teras gentes, diuini fœderis expertes.

Inter hos omnium ſunt peſſimi, qui non ſolum in communi ſunt & uulgari pietatis profeſſio-
ne, qualis apud Iudæos quiſq; erat circumciſus, & apud nos quiſque eſt in Chriſtum baptizatus:
ſed qui ſuprà reliquos in adminiſtratione, uel ciuica, uel eccleſiaſtica conſtituti, ſingulari munere
& pietate Deo miniſtrare tenentur, ſi impij ſint. Horum proſperitas quodammodo intolerabiliſ-
eſt pijs mentibus. At bone Deus, quantus eſt iſtorum hodie ubique numerus, qui cum ſint im-
pijsiſſimi, uel in principum aulis, uel eccleſijs Chriſti, de pauperum ſudore deliciantur, & omnia
poſſunt radicati, elati, corroborati, & planè uiuentes & regnantes.

Adiecerim & hoc, zelus hic erga proſperè agentes impios in hac uita uariis deprehenditur.
Habent impij florentes in ſeculo, duo: unum, quòd impij ſunt: alterum, quòd proſperè agunt di-
uites & felices. Impietatis gratia mœrore & zelo afficiunt piorum animos. Hi enim ægre ſerunt,
quòd cum impij ſint, proſperè agunt. Proſperitatis gratia inuidiam ſuſtinent egenorum qui im-
pij ſunt, quos cruciat non ſolum propria egeſtas, ſed & quorumcunque proſperitas & felicitas.
Hoc genus hominum, cum ſit impium & ipſum, non offenditur diuitum impietate, ſed proſperi-
tate, qua conſpecta tantum non rumpitur, & liuore conſumitur. Iſti ſunt omnium miſerrimi, nec
præſentis nec futuræ felicitatis unquam participes.

TERTIA PARS.

Hac parte declarat, de qua pace impiorum & inſenſatorum hominum loquatur, cuius zelo pe-
nè prolapsus ſit. Simul etiam hæc duo adiungit: unum, quomodo pace illa abutantur ad faſtum
& inſolentiam: alterum, quomodo illius gratia à plebe ſuſpiciantur & colantur.

Verſus 4. & 5. Quòd non ſunt ligamina ad mortem illis, & pingue eſt robur eorum. In labore hominum non ſunt,
& cum hominibus non flagellantur. His uerbis pacem impiorum deſcribit. Eſt autem quartus obſcu-
rus. Alij per ligamina ad mortem intelligunt morbos, & per pingue robur, firmam & inconcu-
ſam ualetudinem. Alij uerò onera & grauamina, quibus ſuccumbant, per ligamina ad mortem: &
per pingue robur, diuitiarum potentiam. Prior ſententia non ſatis uidetur quadrare propoſito,
uel certè non tantum quantum poſterior. Vt quid enim ſanitatē daret impijs, cum illam plerunq;
reperias & apud pios & pauperes? Deinde ex illa non oriuntur impijs, quæ hic illis tribuet, nec
illius gratia

Verſ. 4. 5. 6. 7.

8. 9. 10. 11.

Verſ. 12. & 13.

Pax iſta impio-
rum eſt in ſum-
ma, quòd ut di-
gni ſunt, non pu-
nietur, nec à ma-
giſtratus, pro-
pter diuitiarum
robur, nec à deo
propterea quòd
impij ſunt, &
ab illo reiecti.

illius gratia à plebe coluntur & suspiciuntur: oriuntur autem ex diuitiarum robore, & huius gratia potissimum suspiciuntur. Præterea infra uers. 12. diuitias nominatim ponit, cum dicit: Ecce isti impij & abundantes in seculo, obtinent diuitias.

Proinde meo iudicio competentior erit huius uersus intellectus, ut quod dicit: Non sunt ligamina ad mortem illis: intelligamus de prosperitate impiorum, qua fit, ut nullis infortunijs, nullis aduersis casibus, nullis calamitatibus obruantur, ut idem sit quod Ieremias dicit: Quare uia impiorum prosperatur? Vel certe, ut intelligamus de eo, quod propter diuitiarum cumulos & facultates, perpetuo ex laqueis, in quibus pereundum esset non diuitibus, sese extricant. Nam hic nulla leges adeo iustæ sunt & equæ, quibus ligentur. Ideo subditur, Et pingue est robur eorum. Hoc est, uiride & ualidum, non macilentum uel emarcidum. Etenim robore diuitiarum nihil non possunt. Ergo his uerbis non tam diuitias impiorum notat, quam quod illarum gratia omne fas & ius corrumpunt, & legum uigorem eneruant.

In labore hominum non sunt. Plena est hæc uita ærumnis & calamitatibus. Harum duo sunt genera. Vnum est earum, quibus ipsa humana fragilitas & corruptio communiter obnoxia est, præsertim in tenuioribus. Multum hic laboris & sollicitudinis in comparando uictu, alendis uxore, liberis, domesticis, subeundum tenuibus. Deinde innumeræ molestiæ ex malorum perfidia, & quæ huiusmodi sunt alia, quæ omnia dictione עָוָרָה intelligi possunt. His non obnoxij diuites impij. Dum alij laborant, affliguntur, & innumeris molestijs iactantur, isti securè deliciantur. Alterum genus earum est, quæ propter peccata nostra flagello disciplinæ Dei inferuntur. Ut sunt pestilentia, fames, bella, &c. Neque his tanguntur. Si fames immittitur, ipsi omnis generis opibus abundat: si pestis, uel fugiunt, uel ab omni quantum possunt illius abstinent contagione, & ab omni eorum commercio qui flagellatur, sibi studiosissimè temperant. Si bella, rursus uias inueniunt, quibus tempestatem illorum euadant. De hoc intelligo quod dicit: Cum hominibus non flagellantur. In priorè particula est dicitio עָוָרָה, in posteriore אָרָה, quibus non potentes & magnates, sed calamitosi & plebei significantur, imò uerius mortalium miseria notatur.

Zelo itaque Propheta contra impios rapiebatur, cum uideret eos nullis legum teneri uinculis, propter diuitiarum copias: nec tangi communibus molestijs & calamitatibus, quibus, ita exigentibus peccatis nostris, in hac uita subiicimur, cum ipsi potissimum deberent illis esse obnoxij. Hoc scilicet urebat eum. Sunt autem hic tria obseruanda.

Primum, quæ magistratus corruptio hic notetur, cum dicit, quod impijs diuitibus nulla sint ad mortem ligamina, & quàm non immeritò offendantur ex eo boni uiri, cum idem uideamus hic & Prophetæ accidisse.

Alterum, quibus adnumerandi sint, quos uidemus tanto studio huc luctari, ut nullis mortalium molestijs & flagellis tangantur. Quanta sit illorum cæcitas, quod ibi putant sibi bene esse, ubi debent plurimum contristari. si enim Deus flagellat omnem filium quem recipit & diligit, quid illis expectandum, qui pro summa rerum prosperitate amplectuntur, si nullo unquam flagello tangantur, sed perpetuis delicijs inebriantur.

Hinc magna miseriis & calamitosissimè sumenda est consolatio. Homines sumus, & multis molestijs obnoxij, deinde singulariter si Deo chari sumus, disciplinæ illius uirga castigamur, ne cum hoc mundo perdamur.

Ideo circumdedit eos superbia, operti sunt uelut ueste iniquitate sua.

Egrediuntur præ pinguedine oculi eorum, transeunt cogitationes cordis.

Disperdunt & maliciose calumniam loquuntur, è sublimi loquuntur.

Ponunt in coelum os suum, & lingua eorum uagatur in terra.

Ideo conuertitur populus eorum illuc, & aquarum copia inuenitur illis.

Et dicunt, Quomodo scit Deus, & est ne scientia in excelsis?

Operti sunt uelut ueste iniquitate sua. Ebr. עֲוֹנוֹתָם שִׁיתָ חֲסִים. Græca & Vulgata Lat. Operti sunt iniquitate & impietate sua. Hieronymus, Circumdederunt iniquitatem sibi. Pagninus, Operiet se, ut tollat prædam sibi. Felix, Inuoluet nates iniquitas ipsorum.

Egrediuntur præ pinguedine oculi eorum. Ebraicè sic, עֵינֵיהֶם עֲוָרָה. Græc. & Vulg. Lat. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.

Transeunt cogitationes cordis. Ebr. עָוָרָה מִשְׁכֵּיחַ לֵבָב. Græc. & Vulg. Latin. Transierunt in affectum cordis. Hieron. Transierunt cogitationes cordis.

Disperdunt, & maliciose calumniam loquuntur. Græca & Vulgata Latina sic legunt hunc uersum: Cogitauerunt & loquuti sunt nequiciam, iniquitatem in excelsis loquuti sunt. Hieronymus: Irriserunt, & loquuti sunt in malicia calumniam, de excelsis loquentes. Iustinianus: Dissoluentur, & loquentur in malum. Felix: Contabescere facient, & loquentur in malo. Pagnin. Dissoluerunt, & loquuti sunt maliciose calumniam.

Ideo conuertitur populus eorum. Ebr. עָוָרָה: id est, Populus eius. Græc. & Vulg. Latina, & Arabs legunt, עָוָרָה, id est, Populus meus. Hieronymus, Iustinianus, Pagninus & Felix legunt, Populus eius. Campensis, Populus Dei. Sic & Chaldæus.

Dictū Philo-
phi, qui leges te-
lis aranearum
comparauit.
Vers. 5.

Iob: Homo na-
tus de muliere,
breui uiuēs tem-
pore, repletur
multis miserijs.
Iacob, Gen. 37.
Dies peregrina-
tionis meæ modū
ei sunt & mali.
Gen. 3. In sudo-
re uultus tui,
&c. Sic Iob. 21.
Non est uirga
Dei super illos.

Prouerb. 34.
Ebr. 13.

Duo argumēta
consolationis in
afflictionibus.

6

7

8

9

10

11

LECTIO.
Vers. 6.

Vers. 7.

Vers. 8.

Vers. 10.

Et aquarum copia.) Ebr. מִיִּם מְלֵאִים. Græca & Vulgata Latina, & Arabs legunt Dies pleni. מִיִּם C pro מִיִּם. Hieronymus legit non מִיִּם, per zere, id est, aquas: sed מִיִּם, per hirick, id est, quis ad hunc modum? Et quis plenus inuenietur in eis? Felix, Et aquæ pleni. Pagninus, Et aquæ calicis pleni. Iustinianus, Et plenum aqua.

E X P L A N A T I O.

Duobus præcedentibus uersibus prosperitatem & pacem impiorum in se posuit: his uerò quæ ex illa sequuntur subiicit.

Ver. 6. Ideo circumdedit.) Hoc uersu fastum illis & iniquitatem ascribit. Neq; id simpliciter, sed talem fastum & talem iniquitatem, quibus uelut torque & operimento toti circumduntur. Causam reijcit in prosperitatem ipsorum. Ideo, inquit, quoniam non sunt ligamina ad mortem ipsorum, & uiride est robur eorum. Quoniam in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, fit ut fastu & iniquitate toti circumduntur.

1 Videmus hic, qui sint fructus prosperitatis impiorum. Primus est diabolicus ille, superbia & fastus. Stulti se magnificiunt, & reliquos qui in labore hominum sunt, præ se fastidiunt. Miseræ sunt conditionis & mortalitatis obliuiscuntur, & inde insolescunt, unde si saperent, magis debebant humiliari. De hoc diuitum impiorum fastu, quid attinet dicere, cum passim & ubique sit curius obuius? Non frustra Apost. 1. Tim. 6. præcepit, dicens: Diuitibus præcipe, ne sublime sapiant. Stultorum animos ita excecant diuitiæ, ut putent se iam semideos esse, obliui quod homines sunt, & ab omnibus adorari cupiant.

2 Alter est qui fastum à latere comitatur: nempe uolentia, וְכֹחַ, qua pauperes iniquè ac temerè opprimuntur, cuius & præcedenti Psalmo facta est mentio, uers. 14. Quoniam enim impij sunt, & Deum non timent, nulla tanguntur peccati conscientia. Deinde, quoniam nullis legum uinculis tenentur ut impune quiduis committant, & superbiam induerunt, fit ut hoc licentius uim inferant pauperi. Si diuitiæ & prosperitas impiorum fastum generant & uolentiam, ergo tenuitas & huius uitæ miseriæ, calamitates & flagella disciplinæ Dei, animi humilitatem & modestiam pariunt, & libidinem inferendi iniurias adimunt, ut uel ex ipsis utrinq; fructibus appareat, utrum melius sit & beatius, utrum Christiano homini appetendum magis, an quod impijs hic datur, uel quod humanæ miseriæ & disciplinæ Dei adscribitur.

Uersu septimo, octauo & nono amplificat quæ uersu sexto impijs diuitibus tribuit, fastum uidelicet, & uolentiam. Quod enim uersu 7. dicit, Egre diuntur præ pinguedine oculi eorum, transeunt cogitationes cordis: non ut litera habet, de corporali, sed de mentis pinguedine, id est, tumore animi intelligendum uidetur, qui sese foris etiam in gestu prodit. Et, meo iudicio, quoniam uers. 8. & 9. insolentiam pariter & uirulentiam lingue illorum taxat, hoc uersu eum tumorem impiorum notat, qui in cessu, gestibus & uestitu proditur. Illud, Transeunt cogitationes cordis, potest tam ad sequentia spectare, quam ad hunc uersum: ut intelligamus impios cordis tumorem, insolentiam & malitiam sibi ipsis continere non posse, sed magna temeritate & impudentia in locum gestu, uestitu, in cessu & sermone proferre.

Uers. 8. Disperdiunt, & malitiose calumniam loquuntur.) Hoc ad crimen וְכֹחַ, id est, uolentiae pertinet. Notat enim lingue uirulentiam, qua innoxios impij plerumque opprimunt, de cuius malo multa queritur in psalmis Propheta.

Uers. 9. Quod subdit, E' sublimi loquuntur, fastum notat. putant enim sibi omnia licere, ideo insolenter quiduis loquuntur. E' sublimi loqui, est cum fastu & ueluti auctoritate loqui. Ponunt, inquit, in cælum os suum, & lingua eorum uagatur in terra. Hoc est, tanta temeritate & insolentia tumet ipsorum lingua, ut cum diuinâ tum humana susq; deq; faciant, deq; diuinis temerè pariter & de humanis loquantur, quasiq; & diuinarum rerum humanarum magistri audiantur & suspiciantur.

OBSER. I. Suprà in genere superbiam, tãquam diuitiarum apud impios fructum notauit, cum dixit: Ideo circumdedit eos superbia. Iam uerò duas illius species ponit, quibus utrisque animi tumor foris proditur. Quas proderit obseruasse, ad uitij huius detestationem. Vna est, qua impij insolescunt in cessu, & reliquo corporis gestu. Altera est, qua lingua tument, qua de omnibus contemptim loquuntur, qua sese prædicant, qua grandia minantur, qua quiduis imperant, &c. His notis animi tumor deprehenditur: ut enim modestæ mentis indicium est submissus in cessus, gestus & sermo: ita in cessus insolens, & lingua turgida, absq; dubio animum tumidum produnt. Vide Ecclesiastici cap. 13. quid de impijs diuitibus scribatur. Diues loquitur, & uerba eius in cælum usque extollunt. Loquitur pauper, & dicunt, Quis hic est? Hinc diuitibus cristæ sunt, ut eo sint lingua insolentiores. De isto oris tumore uide Psalm. 17. uers. 10.

OBSER. II. Sicut ebrius in cessu cognoscitur & lingua, ita & tumidus animo. Transeunt cogitationes cordis.) Etiam hoc habet fastus & animi tumor, ut mentem & linguam reddat ebriam. Ebrietas operta recludit, clauem habens penetralium cordis. Idem facit & animi tumor, qui quasi æstus quidam temulentiae, quæ corde cogitantur, absque ullo pudore & metu in lucem profert.

His tribus uers. Propheta recto ordine subiicit, quid ualeant impiorum diuitiæ & successus apud carnales homines, apud plebem iudiciorum Dei ignaram. Et hæc est istius offendiculi uis, ut ad impiam hæsitacionem de Deo animos imperitorum pelliciat.

Uers. 10. Ideo conuertitur populus eorum illuc.) Plebs, quam uulgum uocamus, hoc uersu, quo sit ingenio, notatur,

Notatur, bestiali uidelicet. Quanquam ex animo non fauet ijs qui rerum abundantia potiuntur, ut plerunque est maligno ingenio: tamen, ut solent pecudes, gulæ gratia partes impiorum hominum sectatur. Pleni calices inuitant carnales homines ad consortium impiorum, ut eos suspiciant & colant.

Verf. II. Et dicunt, Quomodo scit Deus? Parum esset, quod gulam sectantur carnales, & huius gratia impijs blandiuntur, nisi etiam ipsam imbiberent impietatem, hæsitacionem scilicet de prouidentia Dei: imò non hæsitacionem, sed omnimodam pernegationem, ut in corde dicant, Quomodo scit Deus? Quasi dicant: Stulti sunt, qui putant Deum habere rationem mortalium in hac uita, & obseruare quid quisque agat.

Est ne scientia in excelsis. Notanter dicit, In excelsis. Exprimit enim cogitationem imperitorum, qui putant Deum ita habitare in excelsis cælo, ut procul sit à nobis, nec uideat & cognoscat res nostras. Hoc impio sensu quidam illud usurpant: Cælum cæli Domino, terram dedit filiis hominum.

Eccē isti impij, & abundantes in seculo, obtinent diuitias. Rationem imperitiæ plebis subnectit, qua putat ueluti certo argumento cōstare, quod Deus in excelsis non curet quid mortales in terris agant. Sapiunt hætenus, quod discernunt inter pietatem & impietatem: deinde, quod meritò beneficii debeat à Deo pijs, & malè impijs. Hic desipiunt, quod carnaliter iudicant de bonis huius uitæ, ignorantes æterna bona conseruari pijs, tanquam propria & hæreditaria, terrena uerò & pecudibus cum hominibus esse communia. Admirantur auri, argenti, æris, lignorum, lapidum, lanæ, lini, panis, uini, & id genus terrenarum rerum splendorem & copiam, quasi ista sint præmia piorum, & non inueniantur in speluncis montium & cauernis, in arena fluminum, in ouibus, syluis, campis, agris, bestijs, &c.

QUARTA PARS.

Frustra ne mundo cor meum, & lauo cum innocentia manus meas.

Et flagellor omni die, & increpatio mei in matutinis.

Frustra ne mundo cor meum. Ebr. אֲרִיב וְדִבֵּר לִבִּי לַבָּי. Græca & Vulgata Latina sic: Et dixi ergo, sine causa iustificauit cor meum. Pagninus: Verè in uanu mundaui cor meum. Hier. Ergo ne frustra mundaui cor meum? Sic & Iustinianus.

Illud, Cum innocentia, Græc. & Vulg. Lat. legunt, Inter innocentes.

EXPLANATIO.

His duobus uersibus exprimit, quales in ista tentatione cogitationes habuerit, per quas aperit quomodo penè lapsus sit ab eo, quod primo uersu pro summa certitudine posuit. Commemorat autem eas propter simpliciores, cautionis gratia: ut hoc exemplo discant, si quid tale mentibus ipsorum irrepserit, protinus respuere, tanquam impiū, & ad hoc immissum à tentatore, ut à fide diuinæ bonitatis & iusticiæ seducantur. Frustrane mundo cor meum, inquit, & lauo cum innocentia manus meas? Quasi dicat: Si nulla est scientia rerum humanarum coram Deo, quid mihi proderit iusticiæ studium? forsan frustra mundaui cor meum, &c. Impij qui nullam numinis rationem habent, in medijs diuitijs florent, & cum hominibus non flagellantur, & interea magni fiunt & suspiciuntur: ego uerò, quantumuis mundem cor meum, & innocentiam studeam, nihilominus per singulos dies miserè adfligor & castigor.

Tentatio ista probè est expendenda. Adornatur enim magno astu satanæ, & habet carnem nostram omnium facillimè adstipulantem. Frustra, inquit, mundaui cor meum, frustra laui cum innocentia manus meas. Non dicit, Malum est, quod mundo cor meum, & lauo cum innocentia manus meas. Hætenus non extenditur impudentia satanæ, ut malum dicat, uel esse persuadeat, si quisquam corde puro & manibus innoxijs esse studeat. Tanta namque ubique est claritas innocentie, ut maliciæ comparari nequeat, neque etiam apud eos qui nihil minus sunt quam innocentes. Quid ergo? frustrane est, inquit, quod mundo cor meum? hoc est, Stultumne est & uanum? Itaque stultitiæ nomine suggillat studium innocentie, ut pro stultis habeantur, qui timore Dei præditi, non quouis modo res suas curant, seu per fas, seu per nefas, sed pietatis, iusticiæ, & diuinæ uoluntatis rationem habent. Talis apud Italos cum risu excipitur, & Bon Christian, id est, fatuus uocatur. Res est per se ardua & molesta carni nostræ, studium purgandi cordis, & lauandarum cum innocentia manuum. Hinc est, quod huiusmodi tentatio, quæ dicit, Stultum est, innocentie studium omnium facillimè apud eam locum inuenit, præsertim cum crucem adiunctam admodum auerfetur. Proinde non potest satan breuiore compendio pios à studio innocentie ac probitatis auertere, quam si persuadeat nullam esse rationem iusticiæ apud Deum: & rem esse stultam, si quis uelit innocentie seruandæ operam dare. Videmus id in usu rerum humanarum, ut facile auellamur ab illis rebus, quæ molestiæ nonnihil habent, si persuadeamur studium illarum esse frustraneum. Agricola facile relinquet cultum agrorum, si persuaderi queat, omnem in illum laborem frustra infumi. Proinde illi sunt omnium pestilentiss. qui dicunt: Quid prodest tibi quod toties conciones audis? quod ad mensam cœnæ Dominicæ accedis? quod in sacra scriptura legis? & huius generis alia. Si persuadeas ægroto, uanum esse medicinæ usum, alioqui molestum, facile effeceris, ut hunc abijciat, & abiecto eo morti obnoxius reddatur. Est itaque ista cogitatio, imò qualiscunque hæsitatio summopere fugienda, nisi uelimus nostro damno experiri, quantum

Vers. II.

Vers. II.

13

14

LECTIO.

Vers. 13.

OBSER. I.

inter sit inter eos qui Deum timent, & innocentiam student, & inter eos qui pro libidine contra Dominum peccant. Vide locum consimilem Malachiae 3.

Mat. 15. Frustra Ingens peruersitas est, quod facilius persuademur Deum coli & placari traditionibus humanis, quam uero isto cordis mundandi, & manus cum innocentia lauandi studio. Illinc nequit mundus auelli, isthinc omnium facillime abducimur.

OBSER. II. Mundo cor meum, & lauo, &c. Simul hic notatur studium sanctorum in seruanda innocentia. Recordatur cordis & manuum: & cordi tribuit mundiciem, & manibus innocentiam. His enim comprehenditur & pietas erga Deum, & uitae probitas erga proximum. De hoc sanctorum studio quatuor notanda sunt hoc uersu.

De cogitationibus impuris, & primis motibus. Primum, quod sit ex fiducia diuinae bonitatis, cuius meminit uersu primo. Nequit enim fieri, ut qui credunt Deum esse bonum his qui puro sunt corde, non huc feratur ductu & impulsu fidei huius, ut cordis puritati & manuum innocentiae studeant. Alterum, licet nemo sit, qui mundum facere queat, quod de immundo semine conceptum est, nisi solus ille qui singulatim omnium mortalium corda finxit, ut puritas cordis absque ulla contradictione sit donum Dei: nihilominus sancti huc luctantur, ut cordibus sint puris, idque per gratiam Dei. Et hoc faciunt, dum per timorem Dei peccatorum immundiciem cauent, & corda sua custodiunt. Hoc est quod dicit, Mundaui cor meum.

Prou. 4. Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipsa uita proceedit. Tertium. Notandum & hoc est, quod non dicit, Frustrane cor mundum habeo? sed Frustrane mundo cor meum? Alioqui, quis gloriabitur castum se habere cor? De studio mundandi cordis loquitur, non de omnimoda illius mundicia.

Quartum. In eo quod dicit, Frustrane mundo cor meum? satis apparet sanctos in studio pietatis respectu diuini beneplaciti retineri. Credunt se gratificari Deo, si mundando cordi & lauandis cum innocentia manibus sese dedant. Ingenium illorum non est proprii commodi appetens, ut illius respectu probitati studeant. Absit. Deo se probari cupiunt, quem unice diligunt: & quia credunt illi placere cordis mundiciam & innocentiam, ob eam rationem mundant corda sua, & cum innocentia manus suas lauant.

OBSER. III. Et flagellor omni die. Habet hic uersus de afflictione sanctorum pleraque notanda, quae paucis adnotabimus. Primum est, multas esse sanctorum afflictiones. Nam omni die, inquit, flagellor. quod nihil aliud est, quam sine intermissione affligor. Sic supra Psalm. 34. dixit: Multa sunt flagella iusto, &c. Huc etiam pertinet quod dicit, Et increpatio mei in matutinis. Quibus uerbis sedulitatem & studium Dei in castigandis suis innuit. Cogitabimus hoc loco, quod si Dauidi uiro tam sancto, idque prophetico spiritu imbuto tam crebrae, tamque prope afflictiones acciderunt, quid nos expectabimus? Alterum, quod afflictiones suas uocat flagellationem & increpationem. Flagellor, inquit, & increpor, &c. A quo? Certè ab inimicis non hoc agebatur, ut erudiretur & castigaretur, id quod est opus ac finis flagellationis & increpationis. Nam illi magis in eo erant, ut perderent, quam ut flagellarent & increparent. Ergo agnoscit opus Dei in afflictionibus suis, quas interpretatur esse flagellationem & increpationem. Nam sic solet Deus suos, ne pereant, increpare & flagellare delinquentes, more parentis qui flagellat filium suum quem diligit. Populus Israel exemplo sit, Esa. 1. Et ubi Psalmus dicit, Visitabo in uirga iniquitates eorum. Et 1. Cor. 11. & Ebr. 12. de Christianis. Tertium. Coniungamus iam uersum praecedentem 13. isti 14. Ibi dixit, se mundare cor suum, & cum innocentia lauare manus suas. Hic subiicit, quomodo quotidie, idque manè flagellatus sit & increpatus. Ergo nunquam ita se purgant, & innocentiam student sancti, donec in hac uita sunt, quin opus habeant diuina & paterna castigatione. Imò hoc ipso quod flagellantur & increpantur, ad hoc iuuantur, ut in studio innocentiae pergant & persistant. Nouit enim Deus ingenium carnis nostrae, quam ad malum prona sit, nisi quotidiana disciplina coerceatur. Quartum. Admonemur etiam dictionibus flagellationis & increpationis, ut in rebus aduersis constituti, uitae nostrae à nobis ipsis rationem exigamus, quam in re deliquerimus, & patri nostro celesti increpandi & flagellandi nos causam dederimus. Haec debet prima esse afflictorum cura, ut quod deliquerunt, flagellati emendent. Ea est etiam in filiis Dei oscitantia, ut propria subinde delicta non intelligant, aut minus animaduertant. Nam & ipsi ita subinde suis indulgent affectibus ut diuinae uoluntatis rationem tantam non habeant, quantam habere conuenit. Admoniti igitur, cogitemus quae sint animi nostri cogitationes, quae studia uitae nostrae, quales simus erga Deum fide, dilectione, timore & erga uerbum ipsius obedientia, quales etiam nos geramus erga proximos nostros. At nos ista in postremum locum rejicimus, praesertim aegroti, & primum damus curandi corporis curam, & amouendam quocunque modo afflictioni. Quintum. Obseruandum & hoc est, quod flagellari & increpari se quotidie queritur. Non obscure hic innuit, quam sanctorum caro assiduitatem istam ac sedulitatem diuinae castigationis sentiat, & nonnihil moleste ferat. Quasi enim iniquum esse putat, quod flagellatur, & increpatur quotidie, cum interea impij omnis generis delicijs abundant, & cum hominibus non flagellantur. Verum extra hanc tentationem, superatis aliquandiu afflictionibus, penitus agnoscit consilium & prouidentiam Dei erga se, ac dicit: Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Hic ipse Dauid exēplo est, quam difficile sit in diebus pacis non peccare. Peccantes de flagello Dei non cogitantur. Cogitemus igitur flagellati de peccatis, quibus Deo causam dederimus.

Ebr. 12. Omnis disciplina a praesenti non uidetur esse gaudij, sed mæroris. Sic uocant febricitantes eos dies malos, in quibus se brili calore affliguntur. Psalm. 23.

P A R S Q U I N T A.

15 Si dixero, narrabo ad hunc modum, ecce generationem filiorum tuorum reprobaui. Et cogitavi

- A Et cogitavi ut cognoscerem hoc, quod labor erat in oculis meis. 16
 Donec ingrederer in sanctuaria Dei, & intelligerem nouissimum eorum. 17
 Reuera in lubricum posuisti eos, prosternes eos ut intereant. 18
 Quomodo uastabuntur subito deficient, confumentur terroribus. 19
 Velut somnium euigilantis, Domine, imaginem eorum in ciuitate contem- 20
 ptam reddes.

Reuera in lubricum posuisti eos.) Ebr. *אך בחל קרה חשית לומר*. Græc. sic: *πάλιν διὰ τὰς ἀδικήσοντας αὐτῶν*. LECTIO.
 Vulg. Latina, Veruntamen propter dolos posuisti eis. Hieron. Veruntamen in lu-
 brico posuisti eos. Sic & reliqui. Vers. 12.

Prosternes eos ut intereant.) Græc. & uulgata Latina, Deiecisti eos dum alleuarentur. Hieron. De-
 iecisti eos ad interitum.

Confumentur terroribus.) Græc. & uulgata Latina, Perierunt propter iniquitatem suam. Hieron. Vers. 19.
 Consumpti sunt quasi non sint. Iustin. Consumpti sunt à fremitibus, Felix, consumpti à repenti-
 nis horroribus.

EXPLANATIO.

Hæc psalmi parte Propheta post declarationem cogitationum suarum, quas tentatio præpos-
 tizeli suggererat, consequenter meminit, quomodo ad se ipsum redierit, & causam hanc princi-
 piò grauem & molestantem beneficio Domini tandem penitus introsperit & expenderit. Duæ
 sunt considerationes huius partis. Vna, quæ fors sit piorum: altera quæ impiorum. De pijs agit
 uer. 15. de impijs, uersibus 18. 19. 20. In priore consideratione, de pijs notanda sunt ista.

Principiò quod pios concernit, occurrit absurditas quædam haud ferenda, si cogitationibus Vers. 15.
 prædictis locum dare uoluisset. Si dixero, inquit, narrabo ad hunc modum, ecce generationem fi-
 liorum tuorum reprobau. Hoc est: Si cogitauero, firmum hoc est, frustra mundo cor meum &
 frustra lauo cum innocentia manus meas, nihil horum Deo curæ est, ad hunc modum causam hanc
 reputabo: quid ex hac reputatione sequitur aliud, quàm quod generationem filiorum tuorum
 reprobabo, & omni tua prouidentia priuor?

Vide primùm, quos uersu primo uocauit rectos corde, eosdem uocat hic filios Dei. Ibi dedit
 Deo, quod bonus sit rectis corde: hic, quod sit illorum pater. Hoc est ita firmum, ut ex eo primam
 B sumat causæ huius considerationem, & ad se redeundi occasionem.

Deinde, dat illis generationem, Ecce, inquit, generationem filiorum tuorum reprobau. Quo- 2
 nam uocauit illos filios Dei, rectè dictione generationis unam illis adscribit ortus radicem: fa-
 cit eos inter se cognatos, & uelut unum corpus, eandem tribuit eis naturam, idemq; ingenium.
 Generationem, inquit, filiorum tuorum reprobau. Quomodo? Si ad hunc modum causam hanc
 reputare uoluero, ut dicam me frustra mundare cor meum, & frustra cum innocentia lauare ma-
 nus meas. Ergo recti corde, quos uocat filiorum Dei generationem, hoc uniuersi sint ingenio &
 studio, ut mudent corda sua, & lauent cum innocentia manus suas.

Deinde eodem loco sunt apud Deum, ita ut si unius erga Deum pietas frustranea sit & inanis,
 simul omnium sit: rursus, si unius pietas Deo grata sit, simul omnium sit.

Tertiò, quotidie flagellantur & corripuntur. Sic Ebr. duodecimo: Si extra disciplinam estis,
 cuius participes facti sunt omnes. Alioqui quomodo consequeretur, quod dicit: Si cogitauero
 frustraneum esse quod cor meum mundo, & manus meas cum innocentia lauo, iam filiorum tuo-
 rum generationem reprobau, nisi hæc tria in generatione filiorum Dei essent: Primum, quod
 omnes pietatis & innocentiae studio præditi sunt. Alterum, quod eodem coram Deo loco sunt,
 & eadem æquè prouidentia potiuntur, & cuiusque ex illis pietas Deo grata est. Tertium, quod
 omnes uirga filiorum Dei corripuntur.

Tertiò, notemus etiam hic qui sint reprobatores filiorum Dei. Qui in corde dicunt, Stultum
 est timere Deum, mundare cor, studere innocentiae. Deus enim ista nihil curat, nullam habet in-
 nocentum & timentium se rationem. Sed hoc est non solum filios Dei, sed ipsum quoque Deum
 reprobare. Et hic fons est omnis contemptus, quem impij erga pios in hoc mundo declarant.

ALTERVM.

Secundo loco obseruandum est, quàm nequeat etiam à pijs causæ huius ratio deprehendi, ni-
 si uerbi, promissionum, ac iudiciorum Dei penetralia & carnalibus inaccessa adita obseratis sen-
 sibus ingrediantur. Et cogitavi, inquit, ut cognoscerem hoc (quomodo uidelicet pij adfligan-
 tur, & impijs bene sit, cum Deus curet res humanas) quod labor erat ante me, donec ingrederer
 in sanctuaria Dei. Ergo duorum hic admonemur.

Quo studio sancti sint in cognoscendis iudicijs Dei. Et cogitavi, inquit, ut cognoscerem
 hoc.

Vnde sit, quod pleraque nobis, quæ iudicio Dei omnium iustissimo sunt, cum latu tum co-
 gnitu mole-

Rursus genera-
 tio filiorum Dei
 impiorum genera-
 tionem reprobam
 cui dicit: Vanus
 est & impius,
 qui Deum non
 timet, cor non
 mundat, &c.

Vers. 16. & 17.

gnitu molesta & sunt & uidentur: quod uidelicet magis nostræ sapientiæ quàm sanctuariorum Dei penetralia ingredimur & consulimus. Donec, inquit, ingrederer sanctuaria Dei, laborerat ante me.

T E R T I V M.

In eo quod dicit, Et intelligerem nouissimum eorum: admonemur, non esse præsentem impiorum felicitatem inspicendam: sed illa neglecta, considerandum quid post hanc futurum illis sit. Sapientis & prudentis est, non hære in præsentis uitæ rebus, sed magis prospicere, quis illarum futurus sit finis. Et ista prudentia magno est pijs usui. In tristibus enim parit consolationem & patientiam, in lætis cautionem. *Esaiæ 47.* opprobatur Babyloni, quod nouissima sua non considerarit, ideoq; delicata fuerit & secura, dicens: Non mouebor unquam, sededo in sempiternum domina rerum. Qui hoc faciunt, similes sunt bibulis, quibus uinum principio arridet & suauis uidetur: tandem uero morsum ueluti serpens infert, & uenena diffundit, ut aspis. *Prouerb. 23.* Et ijs qui scortis adhærent, quorum labia quidem, etsi sint fauus distillans, & guttur nitidius oleo, nouissima tamen amara sunt, quasi absynthium, & lingua acuta quasi gladius, &c. *Prouerbiorum quinto.* Hinc est quod de populi sui stultitia Deus ad hunc modum queritur: Gens absque consilio est & sine prudentia, utinam saperent & intelligerent. Quam in re? Audi: Et postrema, inquit, prouiderent. Ergo prudentiam hanc, qua postrema prospiciuntur, & præsentibus non inhæretur, qua se hoc loco Dauid usum esse dicit, optat Deus populo suo, tanquam summè necessariam. Ad hanc nos etiam Apostolus hortatur, cum Christianis adscribit, quod non quæ uidentur, sed quæ non uidentur, considerent, *1. Corinth. quarto.*

A L T E R A H V I V S P A R T I S C O N S I D E R A T I O

de impiorum sorte & exitu, in qua ista sunt notanda.

Haftenus de pijs, iam etiam impiorum sortem audiamus. Nam & illius consideratio plurimum ad hoc facit, ut tricas huius tentationis euadamus, & iudicia Dei propius inspecta, penitus cognoscamus. Suprà parte tertia declarauit quam uiderit impiorum pacem, quem uerum successum, quem fastum, quem carnalium hominum applausum, quam affectationem: hac quinta parte ad se reuersus, illorum exitum, & fabulæ quam ludunt catastrophem expendit, & expensam Ecclesiæ piorum proponit, de qua sunt hæc notanda.

P R I M V M.

Ysa. 18. Quam sit impiorum felicitas instabilis & fluxa. Reuera, inquit, in lubricum posuisti eos. Uicitur autem similitudine uicæ lubricæ, in qua nō potest esse certus gressus. Ita planè habet conditio terrenæ prosperitatis, in qua nihil est certi, nihil firmi. Hinc poetæ fortunæ rotam instabilem finxerunt. Hac nota etiam Apostolus ab inani diuitiarum fiducia fideles auocat, primæ ad *Timoth. 6.* Et ob eam rationem Christus fallaciam ac seductionem diuitijs adscribit, *Matthæi decimotercio.* Decipiunt enim eos qui se propter multitudinem, splendore ac robur terrenarum facultatum solites & securos esse putant. Exemplum esto eius qui dicebat: Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare, &c.

Luce 12.

Non dicit, Positi sunt, uel, ponunt se ipsos: sed, Posuisti eos. Studium illorum non est, ut instabilem acquirant rerum felicitatem, sed arbitrantur se res suas omnium constituere firmissimas. Industrij sunt & negotiosi, ut firma potiantur rerum prosperitate. Et in oculis mundi uidentur altissimum misisse radices. Verum in sanctuarijs Dei propheta aliud discit: nempe, quod quicquid impij conentur, ad stabiliendum res suas, & quamuis mundo uideantur firmi & bene securi, quod tamen Deus illos in lubricum ponat.

Nec dicit, Posuisti diuitias impiorum in lubricum: sed, Posuisti eos in lubricum. Solenne est terrenis bonis, ut sint fluxa & lubrica: facile dilabuntur, ac mutant herum suum. Parum hoc est, modò qui illa possidet firmus sit, ut dilabentibus huius mundi facultatibus non ipse quoque dilabatur. At impiorum ea est cōditio, ut non solum bona illorum sint lubrica & peritura, sed & ipsi simul cum illis dilabuntur ac pereant. Imò plerunque uidemus fieri, ut manentibus opibus, impij abripiantur ac pereant. Pij non sunt collocati in lubricū, neque in lubricis habitant, sed in ueris ac sempiternis bonis: unde illi non pereunt, etiamsi terrenis bonis priuentur. Exemplo sit Iob, sint Prophetæ, & quotquot terrenorum bonorum amissionem propter Deum perpessi sunt.

S E C V N D V M.

Quod iudicio Dei prosternendi sint & interituri. Prosternes eos, inquit, ut intereant. Non est satis, quod in lubrico sunt positi, ut suapte sponte proruere queant, nisi etiam diuini iudicij impulsu prosternantur ut intereant. Sic *psalm. 35.* Sit uia illorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini persequens eos. Verbo prosternendi notat illorum sublimitatem ac fastum, cuius supra meminit, indicans quid illi sit expectandum, uidelicet quod sit deturbandus. Nec dicit ut humilientur, sed ut interant. Alioqui & pij nonnunquā à Deo humiliantur, sed ut saluentur: impij uero prosternuntur ut intereant. Sic alibi: Exaltationem sequitur ruina. Qui opulenti sunt & illustres in hoc seculo, putantur moueri non posse. At qui in cælis est, satis habet roboris ad prosternendos impios. Quid in carnem non poterit, qui montes, imò totam terram concutit, & integras urbes, quin & integra regna prosternit?

Prouerb. 16.

T E R T I V M

TERTIVM.

Qualis sit interitus eorum. Primum, quod sit futurus non mediocris aut vulgaris, sed singula *Vers. 19.*
ris, & admodum miserabilis. Id exprimit cum dicit: Quomodo uastabuntur? quasi admiratus om-
nimodum illorum excidium & interitum. Sic psalmo 37. Vidi impium, inquit, exaltatum & eleua-
tum sicut cedrum libani, & transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

Deinde, quod subitus & improuisus sit futurus illorum interitus. Subito, inquit, deficient. Sic *2*
Iob 21. Ducunt in bonis dies suos, & in momento ad foueam descendunt. Certè breuissimum est
momentum, quo impius omnibus amissis diuitijs & honoribus ex hac uita tollitur, & foueæ in-
cluditur. Hac nocte, inquit, auferent abs te animam tuam, &c. Plerumq; una nocte, amplissimi re- *Lucæ. 12.*
gni maiestas amittitur. Prosterne te Deo una nocte cadebat Babylon superba & impia. Ex impro-
uiso cadunt & pereunt impij. De futuro quippe nihil sunt solliciti, sed bene securi. Sic Apostolus
dicit: Cum dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus ueniet illorum interitus. *1. Theßal. 5.*

Tertiò, quod interitus illorum sit futurus cum terroribus. Consumetur, inquit, terrorib. Nam *3*
ita solent subiti & improuisi interitus animos eorum qui dies suos in bonis duxerunt, & opibus
abundant, & in hac uita suspiciuntur, incredibili terrore cruciare & conficere. Accedit & impieta-
tis cōscientia, cuius angustiam nemo explicauerit, nisi ipsa doctus experientia. Viderint hic, qui
data opera uerbi Dei admonitionē fugiūt, ne cōscientiæ morsus sentire cogātur & cōtristentur.

QVARTVM.

Quod omnis illorum gloria, quam uulgò possident in hoc seculo, sit inanis, & instar somni e- *Vers. 20.*
uanitura, & in contemptum desitura. Velut somnium, inquit, euigilantis Domine, imaginem eo-
rum in ciuitate contemptam reddes. Pulchrè reddit singula singulis. Dedit impijs opulentiam
& prosperitatem in rebus terrenis. Huc adaptatur quod de lubrico dixit, in quod à Deo sunt po-
siti impij. Deinde dedit eis fastum. Illi opposuit deiectionem ac prostrationem ad interitum. *2*

Tertiò, tribuit eis uulgi & carnalium hominum applausum & affectationem. Isti adaptat hunc *3*
uersum de futura illorum ignominia. Commodum autem contemptum eorum post descriptio-
nem interitus subiicit. Per hunc enim soluitur omnis illorū æstimatio. Per hunc aperiūtur mor-
talium oculi, ut re ipsa uideant, quàm inanis fuerit illorum splendor & gloria, ut tam incipiāt ha-
beri contempti, quàm antea dum in flore essent, habebantur honorati.

Vitatur autem similitudine omnium aptissima, somnij uidelicet dormientis, & imaginis: pul-
chrè utraq; coniungens, ita ut similitudine somnij depingat, quàm sit inanis impiorum felicitas,
quibus in hac uita instar dormientium tantisper bene est, dum ueluti in uanitate sua & felicitatis
opinione dormiunt, & inter somniam dum imaginem quandam felicitatis imperitis ac carnalibus
hominibus, non ipsam felicitatem obijciunt, quam illi pro tempore quidem suspiciunt & admi-
rantur: uerum mox atq; soluto uanæ felicitatis somnio solui quoq; cōperit inane illius spectrum,
non possunt aliud, quàm ut quos antea suspiciebant, tum incipiant in corde contemnere.

Admonemur ergo hoc loco, quanta sit carnalium hominum & impiorum in hoc mundo ua- *1*
nitas. Qui diuitias possident, putant se planè felices esse, & quasi deos quosdam. Nesciunt ullum
tenere modum, neminem non præ se fastidientes. At miseri in somnio felicitatis uersantur, non
in ipsa felicitate. Splendidi habentur interea: at imaginem habent splendoris, non uerum & soli-
dum splendorem. Vbi euigilant, omnium sunt miserrimi.

Mundus qui opulentos suspicit, nihil aliud suspicit & admiratur, quàm dormientes & dormi- *2*
entium imagines. Ea est mundi huius perpetua quædam uanitas, quod neglectis rebus ipsis, rerū
admiratur & colit imagines.

Accedit & ista uanitas, quod qui nominibus suis post mortem celebrandis student, & horum *3*
gratia splendoris post se ueluti imagines quasdam relinquunt, inde contemptum & ignominiam
inueniunt, unde perpetuam habituros se gloriam sperabant.

Rectè ergo Propheta, ut qui pietati student, contra hanc tentationem muniantur, hanc impio-
rum sortem ob oculos illis exponit, ut desinant admirari illorum pacem, felicitatem & splendo-
rem: & simul admoneantur, quæ sit uera & contrario piorum felicitas, quomodo generationem
filiorum suorum Deus ponat in solido, extollat eos ad summam felicitatem, quàm beati reddan-
tur, quàm subito liberentur, & liberentur cum gaudio, & quomodo ueluti è somno tristitiæ exci-
tatos, ita uersis rebus felices reddat, ut contemptus imago, quā sustinent in hac uita, in summam
& perpetuam mutetur gloriam.

PARS VLTIMA.

Quoniam ueluti acrore affectum erat cor meū, & in lumbis meis cōpungebar. *21*

Et ego insipiens eram, & non intelligebam, ut iumentum eram apud te. *22*

Et ego semper tecum, tenuisti manum dexteram meam. *23*

Consilio tuo deduxisti me, & postea cum gloria suscepisti me. *24*

Quis mihi est in coelo: & tecum nihil opto super terram. *25*

Deficit caro mea & cor meū: rupes cordis mei & pars mea Deus est in seculū. *26*

Y 4 Quoniam

- 27 Quoniam ecce qui elongant se à te, pereunt: perdes omnes qui scortantur abste.
 28 Mihi autem coniungi Deo bonum est: posui in Dominum Deuspem meam,
 ut enarrem omnia opera tua.

LECTIO. Quoniam ueluti acrore affectum.) Græc. & uulgata Latina, Quia inflammatum est. Hieronymus,
 Vers. 21. Quia contractum est. Pagninus, Quia dolore fuerat affectum. Felix, Quoniam accecit cor meum.
 Iustinian. Quia acetosum est.

Et in libris meis compungebar.) Græca & uulgata Latina, Et renes mei commutati sunt. Hieronymus.
 Et lumbi mei uelut ignis fumigās. Iustinianus, Et renes mei acuti. Felix, Et renibus meis compungar.

Vers. 22. Et ego insipiens eram.) Græca & uulgata Lat. Et ad nihilum redactus sum.

Vers. 25. Quis mihi est in cælo.) Ebr. מי שמימי. Græc. & uulgat. Lat. Quid mihi in cælo. Sic & Hier. & Iu-
 stinian. & Felix. Pagnin. Quis mihi est in cælo?

Vers. ult. Ut enarrem omnia opera tua.) Ebr. כִּי אֶנְרֵם כָּל מַעֲשֵׂי יְיָ. Græc. τὰς ἀνέκδοτους σου. Vulg. Lat. Predicationes tuas. Hier.
 ron. Annunciationes tuas. Sic & Iustinianus. Felix, Missiones tuas. Græca & uulgata Latina ad-
 dunt, quod in Ebræo non est: In portis filiæ Zion. Sic habet & Arabs.

EXPLA- NATIO. Hac Psalmi parte Propheta in summa fidem suam ac spem erga Deum firmat, prouidentiamque
 Dei erga se declaratam recolat. Nam huius gratia Psalmum hunc composuit, & Ecclesiæ Dei præ-
 cinendum dedit, ut suo admonita exēplo, in fide prouidentie Dei cōtra grauissimam hanc tentati-
 onem firma persistat. Huc faciunt omnia quæ his uersibus memorantur. Sed uideamus singula.

Vers. 21. & 22. Duobus hisce uersibus rationem reddit eius quod supra uersu 16. dixit, nempe quod labor fu-
 erit in oculis ipsius, cogitanti quomodo causam hanc agnosceret. In hoc est, ut omnem culpam
 sibi adscribat, Deo auferat. Saluam enim cupit in omnibus pijs diuinæ prouidentie fidem. Com-
 plectitur autem hanc præposteri zeli culpam his uersibus, ita ut primum incuset cordis sui amari-
 tudinem, quæ nihil est aliud, quàm acerbis quidam & proposterus zelus: deinde causam huius
 adijciat, stultitiam uidelicet & ignorantiam iudiciorum Dei. De zelo loquitur uersu 21. quem re-
 ctè uocat acrorem cordis, & compunctionem lumborum, dicens: Quoniam ueluti acrore affectu
 erat cor meum, & in lumbis meis compungebar. Non poteram causam hanc cognoscere. Quare
 Itane obscura est erga rectos corde bonitas Dei, & iusticia illius erga impios? Postrema impiorum
 sunt ne ita abscondita, ut considerari nequeant? Nullane sunt diuinæ prouidentie & iusticie ex-
 pla ante mortalium oculos? Ego, inquit, in culpa sum. Cor meum præposteri zeli acrore ita erat
 affectum, & lumbi mei stimulis illius, intuitu & consideratione prosperitatis impiorum, ita com-
 puncti, ut causam hanc, alioqui in se haudquaquam obscuram, intelligere nequiebam, donec
 conuersus in sanctuaria Dei ad cognoscendum impiorum finem mentis oculis non præsentia, sed
 futura prospicere cœpi. De stultitia uerò meminit uers. 22. cum dicit: Et ego insipiens eram, & non
 intelligebam: ut iumentum eram apud te. Quasi dicat, Acrore iste cordis mei hinc mihi natus est,
 & hinc passus sum lumborum meorum stimulos, quod stultus eram & ueluti iumentum apud te,
 non intelligens gubernationis tuæ omnium sapientissimam rationem.

OBSER. I. Habent hi duo uersus primam rectæ ac synceræ cōfessionis & resipiscentie partem. Ea est agni-
 tio & confessio propriæ culpæ. Sine hac enim nemo uerè potest coram Deo resipiscere. Condem-
 nat seipsum amaricati cordis, & simul stultitiæ. Neque id immerito. Non est enim piorum, ut corde
 sint amaro: neque illorum est, ut stulti sint, ueluti irrationalia iumenta in cognoscendis diuinæ
 prouidentie operibus & iudicijs. Utinam hoc animo præditi essent hodie, qui in Ecclesia Dei ta-
 ta acerbitate grassantur, ut cordibus omnium amaricatisimis nequeant concepto præpostero
 zelo satisfacere, quamuis multum innoxij sanguinis effuderint, & qui cum nullo rubore ob ine-
 excusabilem omnis generis spurcitiam tangantur: ignorantiam tamen & errorem in rebus fidei
 & Christianæ religionis nullo pacto agnoscere sustinent, utut miserandis modis ouiculas Chri-
 sti seduxerint.

2 Notanda est similitudo acroris & compunctionis, qua scitè malum præposteri zeli describitur.
 Quoniam ueluti acrore affectum Neque enim illud solum hoc habet, quod Deo displicet, & diuinæ uoluntati repugnat: sed simul
 erat cor meum. omnium atrocissimè corda & renes mortalium adfligit & pungit, ut illius cōparatione leues sint
 calculorum cruciatus, alioqui molestissimi.

3 Tercio loco notandum & hoc est, planè stultos esse, utut aliàs iuxta seculum sapere uideantur,
 Vers. 22. qui coram Deo non sapiunt. Hi autem sunt, qui non quæ futura, sed quæ præsentia tantum sunt,
 Et ego insipiens eram. considerant & expendunt. Hi uerò sapiunt coram Deo, qui sanctuaria Dei ingressi, non præsen-
 tia, sed futura contemplantur: & de rebus huius seculi non secundum carnem, & externam faciē,
 sed secundum oracula Dei iudicant.

4 Videmus etiam hoc loco, quis sit inuidentiæ præposteri zeli, & multarum molestiarum,
 quas subinde patimur, fons & origo: nempe ista stultitia, quod iudicia Dei non cognoscimus.
 Sapere iuxta seculum, & dissipere iuxta Deum, radix est, unde cordis nascitur acror, & lumbo-
 rum compunctio.

Vers. 23. 24. Agnoscit & prædicat his uersibus bonitatem & prouidentiam erga se Dei, eamque constantem
 & perpetuam, cum dicit: Et ego semper tecum, tenuisti manum dexteram meam: consilio tuo
 deduxisti me, & postea cum gloria suscepisti me. Hoc est: Licet planè stultus & ueluti iumentum
 apud

A apud te fuerim, tu me tamen nullo pacto, nulloue momento deseruisti, semper mei curam gessisti, per omnia pericula quasi apprehensa dextera deduxisti: idque non meis, sed tuis consilijs, & tandem ex grauissimis undique periculis ereptum, in regnum cum gloria euexisti.

Hæc est altera pars respicientiæ, agnitio uidelicet & prædicatio diuinæ bonitatis. Et hac confessione tantum exaggeratur nostra culpa, quantum prædicatur diuina beneficentia. Quis enim non detestetur merito stupiditatem istam, qua nec sentitur nec agnoscitur constans illa & perpetua erga nos Dei bonitas?

Notandum etiam est, quæ sit constantia diuinæ beneficentiæ, erga eos etiam qui illam non agnoscunt: idque tum, cum eam non agnoscunt. Dixerat: Et ego eram insipiens, nec cognoscebam, eram ueluti iumentum coram te: & subiecit, Et ego semper tecum, tenuisti manum dexteram meam, &c. Mirabili prouidentia suos deducit, moderatur & conseruat, ignorantes etiam, cum nihil huius intelligunt. Nihil impeditur illorum ignorantia, sed præsens illis adest, & euadendi consilia suppeditat, & luctantes manu ducit & protegit. Hanc Dei erga se prouidentiam ex consideratione multorum & magnorum periculorum, quibus defunctus, deinde & regni dignitatis, ad quam præter spem euectus erat, ita agnoscit & confitetur, ut omnia illi, sibi suisque consilijs nihil tribuat. De hac prouidentia Dei uide supra Psalm. 23.

Et postea cum gloria suscepisti me. Postea, inquit. Sic solet Deus suos primùm afflictionibus exercere, postea multis aduersis probatos cum gloria & honore coronare. Cum gloria, inquit suscepisti me. Solent imperatores ac duces eos milites, qui se in bellicis rebus ac periculis fortiter & strenuè gesserunt, parta uictoria cum gloria & honore, cōplecti, & militari honore, qui fortes deceat, afficere. Hic autem quid tale de se commemorat Dauid? Cum gloria quidem susceptum se prædicat, sed quæso ob quam rationem? Insipiens, inquit, eram, & non intelligebam, ut iumentum eram apud te. Et ego semper tecum, tenuisti manum dexteram meam, consilio tuo deduxisti me. Diceret magis: Gessi me non ignauiter, multa pro te tuli incommoda, prudentia mea aduersariorum insidias euasi: ut dignus horum nomine ac meritis uideretur, qui cum gloria à Deo susceperetur. Sed nihil horum audis. Omnia talia sunt, quæ non Dauidis dexteritatē, prudentiam aut fortitudinem, sed unam Dei prouidentiam commendunt. Quæ namque poterit illi dari dexteritas, quæ prudentia, quæ animi fortitudo, cui opus est ut perpetuò alieno patrocinio suffulciatur: ut uelut apprehensa manu, eaque dextra, pueri instar deducatur, & alieno consilio tanquam insipiens & iumentum gubernetur? Et qui talis est, cum gloria etiam suscipitur & euahitur, cum ne priore quidem gratia, protectionis uidelicet & gubernationis dignus fuerit. Discamus hoc exemplo, quomodo suos Deus, & quales, honore afficiat. Vnum hoc quæritur, ut in gratiam filiorum eius recepti, & recto erga eum corde simus. Si hoc fuerit, quod reliquum est abundè præstabitur. Aderit ubique, rerum omnium ignaros manu ducet, suis consilijs omnia nostra gubernabit, & undique liberatos ac seruatos, summa, hoc est, cælesti, uera ac perpetua gloria cumulabit. Ita uidelicet uerum est quod ille ait, quod sua dona Deus in nobis coronet. Quicquid enim honoris & gloriæ nobis impenditur, non ita impenditur quasi nostræ coronentur uirtutes: absit, sed unica illa, & immensa Dei erga nos bonitas in nobis coronatur & extollitur.

Quis mihi est in cælo? Intima diuinæ bonitatis, fidei ac prouidentie erga se declarate, contemplatione accensus, magno ista ardentis animi affectu loquitur, quibus animum declarat, uni ac soli Deo addictum, ab uno ac solo Deo quicquid accidat, etiam si caro & cor deficiant, ueluti à firmissima rupe pendente.

Videmus his duobus uersibus exemplum animi pij, quomodo ille totus erga Deum inardescat, & in unum Deum rapiatur, ubi considerat, & penitus expendit, quàm nusquam non sit diuina prouidentia, quàm in omnibus bonitate Dei planè paterna gubernetur ac conseruetur. Ista experientia fidei animo tanta est, ut incipiat fastidire propter unum Deum omnia, siue quæ in cælo sunt, siue quæ in terra: rursus etiam si deficiendum ac pereundum uideatur, uni ac soli Deo innitatur. Duobus modis à Deo auellimur. Vno, quando creaturarum oblectatione ab illius amore auocamur. Contra hoc est quod dicit, Quis mihi est in cælo? & tecum nihil opto super terram. Item: Et pars mea Deus est in seculum. Altero, quando aduersis afflictamur illius nomine, atque ita, ut securi reddamur, ab ipsius cultu auellimur. Huius meminit cum dixit: Deficit caro mea, & cor meum. Rupes cordis mei Deus est. Suprà dixit: Fui flagellatus tota die, & increpatio mei manè aderat. Iam dicit, quicquid accidat, etiam si corde & carne deficiendum sit, nitar tamen Deo meo, qui mihi firmissimæ rupis loco est. Contra primam tentationem, Deus est pars nostra: contra alteram, est rupe nostra.

Quis mihi est in cælo? Angeli sunt in cælis, quibus Deus de omnibus pijs mādāt, ut eos custodiāt, quos in circuitu timentium se mittit, ut eos undique eripiant: & tu cū expiorum numero sis, ne gas tibi quicquam esse in cælo? Sunt quidem, inquit, angeli in cælo, & illi sunt ministri electorum: uerum nec angelos moror, nec quicquam aliud eorum quæ in cælis sunt. Angelis non nitor, angeli non sunt pars mea, in angelos nō est spes mea: sed uno Deo nitor, hic pars mea est, in hunc est spes mea. Neque ut cum Propheta dicere: Quis mihi est in cælo? quotquot fide unius Dei non cōtinenti angelos & sanctos mortuos inuocāt, colūt & adorāt. Nec sanctos, nec angelos contēnimus, sicuti

OBSER. I.

OBSER. II.

Ita suos Deus ueluti iumenta omnium ignaros sua prouidentia ducit, dum interea sapientes mundi suis se ipsorum consilijs perdūt.

OBSER. III.

Vers. 25, 26.

OBSER. I.

1

2

Psalm. 72.

OBSER. II.

Hebr. 11.

sicuti nec David eos contempsit. Verum non illos, sed Deum inuocamus & colimus: non ab illorum, sed ab unius Dei patrocinio & auxilio pendentes. Rursus nec illi dicunt, Quis mihi est in celo: qui anxie inquirunt, num post hanc uitam sint suos in celo agnitori: uel, num qui mortui sunt, nostri adhuc memoria teneantur & afficiantur. Pius animus ita toto corde ab uno Deo pendet, ut præter hunc nihil, ne in celo quidem, affectet. Hunc scit se habere in celo sufficientissimum omnium bonorum thesaurum.

OBSER. Et tecum nihil opto super terram.) An nihil habebat super terram David? Habebat utique, sed non concupiscebat. Non dicit, Nihil habeo super terram: sed non concupisco. Deinde addit, Tecum. Ergo habebat ea sine Deo, uel affectabat quæ super terrâ sunt, sine Deo? Nequaquam. Cum Deo habebat quæcunque habebat, sed Deo non coniungebat, non erant illius pars, cuius loco Deum habebat. Ita contentus erat hac parte, ut nihil præterea desideraret, neque eorû quæ in cælis, nec quæ in terris sunt. Ergo quisquis adhuc terrena concupiscit, hoc ipso declarat, quod Deum non habeat. Forſan dicet aliquis: Et quis nolit habere Deum? Quid tamen impedit, quo minus cum Deo etiam alia bona affectemus? Respondeo: Qui Deum habet, omnia habet, ut nihil amplius desiderare possit. Qui Deum amat, nihil aliud cum illo amare potest, nisi quod in illo, & propter illum amandum est. Quemadmodum, si uxor dicat ad maritum: Tecum neminem alium concupisco. quod nihil est aliud, quàm te uno ita delector, ut tibi neminem alium cupiam adiungere.

Et sanè pulchrè his uerbis non solum pietas Davidis, sed & dilectio illa Dei, quam à nobis requirit, exprimitur. Nam ita uult Deus unus à nobis ac solus amari, inuocari & coli, ut neminem prorsus consortem ferre queat. Est enim æmulator ac zelotypus. Ideo mandauit, dicens: Non erunt tibi dii alieni coram, uel iuxta me. Non dicit, Sine me: quasi ferre possit iuxta se alios deos, modò ipse non abijciatur: id quod non est ueri Dei, sed falsorum.

OBSER. Deficit caro mea & cor meum.) Exemplum animi ad omnium aduersariorum impetum infracti, sequè in unius Dei fide ac bonitate solantis. Sunt autem duò rerum aduersarum genera, quorum hic utrorumque meminit Propheta. Nam quicquid aduersi accidit, aut carni accidit, aut animo. Per cor autem animum intelligit. Et si periclitentur mihi & corpus & animus, inquit: id est, si omnis generis aduersitates & pericula irruât, Deo meo tanquam omnium firmissimam rupe nitam. Quid quæso pro nomine Dei non feret animus ad hunc modum erga Deum affectus & comparatus?

OBSER. V. Rupes cordis mei, & pars mea Deus in seculum.) Duo ponit in Deo, quæ certa & indubitata fide apprehensa, animum omnino infractum, & mundo prorsus crucifixum reddere possunt. Hæc sunt, primum tutela & protectio in aduersis omnium certissima & fortissima, quam similitudine rupis ob oculos cogitandam & expendendam ponit: deinde quod suis est omnium sufficientissima, & prorsus inæstimabilis portio, qua se in seculum ita oblectare gestiunt, ut præterea nihil aliud abfectet. Rupes est, inquit, cordis mei, qua summa securitate nitam, quicquid aduersi accidat: & pars mea est, qua oblectabor in seculum. Talis animus nec aduersis frangitur, nec ullis terrenis, uel bonis, uel delicijs à fide, amore & cultu Dei abducitur. De hac particula, Pars mea Deus in seculo, uide supra Psalm. 16. uersu quinto.

Et obserua, quod addit, In seculum. Quicquid præter Deum possideas, non poteris dicere, quod pars tua sit futura in seculum. De Deo solo dicit fidelis, Pars mea in seculum.

27 Quoniã ecce qui elongant se à te, pereunt: perdes omnes qui scortantur abste.

28 Mihi autem coniungi Deo, bonum est: posui in Dominum Deum spem meam, ut enarrem omnia opera tua.

Ista est conclusio materiæ, quam hic Psalmus tractat. Est autem commodum ita instituta, ut sit bimembris: hoc est, ut utrumque tam quod impijs, quàm quod rectis corde expectandum est à Deo, complectatur. De impijs concludit penultimus, de pijs uerò postremus uersus.

Vers. 27. Quoniã ecce.) Rationalis particula, Quoniã, connectit ista præcedentibus. Dixit, Quis mihi est in celo? Et tecum nihil opto super terram. Deficit caro mea & cor meum: rupes cordis mei, & pars mea Deus est in seculum. Quod si roges, qua de causa statuat Deum partem suam, ita ut præter hunc nihil prorsus affectet, rationem reddit, dicens: Quoniã ecce qui elongant se à te, pereunt, &c. Postquam concludit, cum dicit, Et ego? Bonum mihi est, coniungi Deo. Q. d. Quoniã uideo omnium esse certissimum, quod perituri sint, quotquot à Deo se abalienat & elongant, utut sint diuites & potentes, ego quid? ego iudico mihi bonum esse, ut Deo adhærere quam proximè: posui ob eam causam in Dominum Deum spem meam, ut omnia illius opera, quibus me mirabiliter tutatus est, & euexit, celebrem ac deprædicem.

OBSER. I. Qui elongant se à te.) Quærendum primo loco, qui sint elongantes se à Deo. An quilibet peccator, hoc ipso quod quouis modo peccator est, pro elongato à Deo haberi possit. Si hoc sensisset, poterat simpliciter dicere: Quoniã qui peccant contra te, peribunt. Verum hoc non dicit. Neque enim mox idem est peccare contra Deum, & elongatum esse à Deo: sicuti eregionè, non est idem sine peccato esse, & Deo coniungi. Dixit supra: Et ego semper tecum. Et hic uersu ultimo: Mihi coniungi Deo, bonum est. At nunquam dixisset: Et ego sine peccato sum, & bonum

A & bonum est mihi, quod sine peccato sum. Aliud enim est esse sine peccato, & Deo coniungi: rursus peccatorem esse, & à Deo sese elongare. Qui se elongat à Deo, peccator est: sed non statim uicissim, qui peccator est, à Deo sese elongat. Quid igitur est elongari à Deo? Elongari à Deo, est animo esse abalienato à Deo, & planè impio, est nullo metu Dei teneri, corde procul esse à Deo, sicuti de populo suo queritur, cum dicit: Cor autem eorū longè est à me. Hoc non potest de quo. *Esai. 29.* uis peccatore dici. Nam & pii peccant, & hic ipse Dauid enormiter deliquit, de quo tamen dici *Matth. 15.* non potest, quod à Deo cor suum elongarit.

Pereunt. Quid istis futurum est? Peribunt. Rectè. Nam quid aliud expectandum ei esse poterit, qui se à Deo elongat, in quo uno omnis salus est, quàm ut pereat? Qui uitam fugit, mortem incurrit. Qui lucem declinat, necesse est in tenebris sit. Qui ignem auersatur, frigore pereat oportet. Ita qui à Deo se elongant, ipsi suo uite uitio sese perdunt, etiam si diuinitus non puniantur. Exposita quibusuis est bonitas Domini, & quosuis ad se uocat, uolens quēquā perire. Verū ea est mortalium puerilitas, ut uocantem & allicientem proprio uitio fugiant. Tota die, inquit, extēdi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi, &c. Sic rectè non dicit Propheeta *Jerem. 17.* elogati à te, sed *Jerem. 17.* elongantes à te, uel longè te abijcientes. Certè qui hoc faciunt, & merito suo pereunt, & necesse est, ut pereant.

Perdes omnes qui scortantur à te. Qui scortantur à te. Metaphorica distione utitur, ab uxoribus à maritis suis scortantibus desumpta. Vñ sunt hac metaphora Prophetæ plurimū, ubi defectiōnem Israelis à Deo suo corripuerunt. ut Hier. 2. 3. 4. 13. Ezech. 6. 16. 23. 43. Osee 1. 2. 4. 5. 6. 9. Sed quid est scortari à Deo? Quidam uolunt hac particula exponi proximè præcedentem, ut idem sit scortari à Deo, atq; elongari à Deo. Mihi uerò hæc duo non planè idem esse uidentur, id quod in ipsa similitudine coniugij & adulterij facilius uideri potest. Potest enim fieri, ut mulier à uiro suo primū corde, deinde & corpore discedat: uel certè si non discedit corpore, corde ab illo sic procul, & tamen interea cum nemine scortetur, sed prorsus *monopis* laboret, & quemuis uirum a. uerletur. Quæ uerò scortatur, non solum à proprio est marito abalienato animo, sed & cum alienis sese commiscet. Ad hunc modum inuenias, qui nec uero Deo coniuncti sint sincera fide, nec ab alienis pendeant, prorsus *aduersi*, nec ulla cuiusquam seu ueri seu falsi numinis religione præditi. utrumq; impietatis genus hoc uersu damnatur.

Scortari itaq; à Deo, est non solum corde procul esse à Deo, sed insuper etiam omnem fiduciā amorem ac delectationem in creaturas ponere, quæcunq; illæ sint uel angeli, uel homines, uel demones, uel res inanimatæ. Nihil igitur aliud est cultus ille simulachrorum ac sanctorū, quàm ipsi. B sima scortatio, quam non magis nostræ ætatis scortatores agnoscunt, quàm Iudæi suas scortationes agnouerunt, cum illarum à Prophetis arguerentur.

Perdes omnes. Hic est finis scortationis. Perdes omnes, inquit. Quare? Quia æmulator est Deus. Alieni dij possunt ferre consortes. Deus uerus, tanquam legitimus maritus, consortium nullius ferre potest. At hodie putant orbi imminere exitium propter abrogatū aliquot locis simulacrorum & sanctorum cultum, cum huius nomine ipsissima sit timenda perditio. uide Ieremiæ 44. Sed Israel satis documentum dedit, quàm uerum sit quod hic Propheeta dicit. Nec orbis Christianus obscurum huius pœnæ experimentum cepit. Quid est autem quod dicit, Omnes? Nemo ne euadet istam comminationem? Nemo planè, nisi qui uel genua sua ante Baal non curuauerūt: uel relicta scortatione, ad Deum resipiscentes redeunt. Est enim locus adhuc resipiscendi ac redeundi ad Deum. Vide Hierem. 3. Si reditus fiat non in mendacio, sed toto corde: si non solum relinquatur alieni dij, sed integro corde adhæreatur Deo, locus est uenienz. *Verf. ult.*

Mihi bonum est adhærere Deo. Iuxta ordinem antithesis debebat dicere: Qui uero Deo adherent, saluabuntur: qui ponunt in Deum spem suam, & prædicant omnia opera eius. Verū quoniam iam antea de sua spe ac fide erga Deum mentionem fecit, & quæ de impiorum perditione induxit, ob id induxit, ut rationem redderet, quare elegerit Deum partem suam, rectius non quid pijs in genere, sed quid sibi ex coniunctione & adhæione Dei speretur, subiecit, dicens: Mihi bonum est adhærere Deo. Notandum hic est, quomodo Propheeta ex considerata impiorum perditione colligat, quid sibi faciendum, quid ue salubre sit. Ita ex aliorum periculi sibi ipsi consulit.

Mihi bonum est. Quod erat illud bonum, cum quotidie flagellaretur? Bonum hoc non præsentium cursu, sed futuræ felicitatis æstimatione pensatur à Propheeta. Alioqui carnalis homo & sapiens iuxta seculum dicit: Mihi adhærere mundo, & ijs qui in mūdo rerum potiuntur, bonum: Deo uerò adhærere, miserum & calamitosum est.

Posui in Dominum Deum spem meam. Quam? De qua suprà, Quis mihi in cælo? & nihil tecū opto super terram. Rupes & pars mea Deus in seculum. Hæc est uera piorum spes & fiducia.

Ut enarrem omnia opera tua. Hic finis spei est, *desideria* uidelicet. Quasi dicat: Furtum est, ut opera Domini mirabiliter erga me declarata, alijs deprædicem & enarrem. Ita scilicet spes piorum certa est, ut nequeat confundi: & hic est affectus piorum, ut celebrent opera & gloriam Dei.